



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1525. usque ad annum 1529

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118480

De Lege veteri.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66472](#)

*II. Utinam Paulus aliquantoplus lucis Sæcul. XVI.
nobis aperuisset, qualiter extent animæ se- A.C. 1527.
motæ a corpore & ubinam exstent, an fru-
antur immortalitatis gloria? An impiorum
animæ jam nunc crucientur, an eis subve-
niant nostræ preces, aut alia benefacta; an
indulgentia summi Pontificis subito liberen-
tur a pœnis, quando video multos super his-
ce rebus ambigere, aut certe disputare. Quod
supervacaneum foret, si Paulus aperte defini-
visset.*

Ad hanc Propositionem Facultas di-
cit: *Supervacaneum est hoc defiderium & pe-
riculosum. Multis siquidem occasionem af-
ferre potest scandali, tanquam quæ illic po-
nuntur sufficienti Scripturarum Testimonio
non subfulciantur, cum tamen illa omnia
satis sint per sacra eloquia definita, excepta
ultima particula de indulgentiis. Neque ta-
men propterea afferendum est, quod semper
per indulgentias subito a pœnis liberentur;
nec hoc in suis bullis Pontifices prætendunt,
aut ex vi hujusmodi bullarum Pontificiarum
sane intellectarum id habetur.*

De Lege Veteri.

Quantum ad hunc articulum idem *Ex eodem*
Auctor hæc docuit: *Cum lex terro- Paraph. in
rem incuteret potius, quam amorem, quid Evangel.
supererat nisi posteaquam per legem didice- Marci c. 1.
rant homines se peccatis obnoxios, nec po-
tuissent*

Sæcul. XVI. tuisse ab his temperare, simulque scirent Dei
A. C. 1527. severi vindicis judicium neminem posse effu-
 gere, nisi ut trepidarent, horrerent, ac de-
 sperarent. Quis autem eum amare potest,
 quem horret?

II. Lex Moysis suis umbris, victimis ac
 terroribus fecit hypocritas.

III. Lex cupiditates irritabat potius,
 quam coercebat.

IV. Præceptum illud habetur in lege
 præcipuum: Diliges proximum tuum,
 & odio habebis inimicum tuum.

V. Adolescens audierat Christum docen-
 tem, præcepta legis Mosaicæ non esse satis
 ad consequendum Regnum Cœlorum.

VI. Sincera charitas si adsit, quid opus
 est legis præscriptis?

VII. Verbosissima lex est.

VIII. Iudæi pro tempore crassa Reli-
 gione, vel superstitione magis cohibebantur.

Ex hisce octo propositionibus prima
 juxta Facultatis sententiam est Deo legi-
 que, quam nobis reliquit, injuriosa, al-
 tera itidem Legi Mosaicæ, Deoque in-
 juriam inferre dicitur. Tertia tanquam
 falsa rejicitur, eoquod lex sancta sit &
 justa, potius ad cohibendas quam irri-
 tandas passiones proposita. Quarta tan-
 quam veritati diffona damnatur, cum
 nullum exstet præceptum, vi cuius ini-
 micos nostros odio habere teneamur.
 Quinta cum ingenti temeritate censemur

pro-

prolata. Sexta ad Beguardorum errorem accedere creditur. Septima, im pie ac sine reverentia enuntiata rejicitur. Octava denique iisdem ferme terminis velut Veteri legi injuriosa reprobatur.

De Auctoriis librorum novi Testamenti.

De hoc argumento quinque proposi- *Erasmus in
tiones a Doctoribus proscriptas re- Elencho.*
perimus. Prima erat hæc : *Non statim
dubius est in fide, qui de Auctore libri du-
bitat.*

„ Hæc propositio inquit Facultas,
„ temerarie & erronee asseritur, quia,
„ postquam Ecclesia sacros libros sub
„ nomine talium Auctorum suo usu uni-
„ versali recepit, & sua probavit defi-
„ nitione, non jam fas est Christiano
„ dubitare, aut eos in dubium revocare.,,

*II. Epistola, quæ fertur ad Hebræos,
multis argumentis conjici potest non esse Pau-
li, cum stylo rhetorico verius, quam Apo-
stolico sit scripta.*

„ Hæc propositio juxta Facultatis
„ judicium arroganter & schismatice
„ asseritur contra determinationem Ec-
„ clesiæ in Conciliis Nicæno, Laodi-
„ censi, Carthaginensi III. & in Conci-
„ lio septuaginta Episcoporum factam.,,

III.